



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

Bulla 65. Gregorij XIII. Innouatio Constitutionum à prædecessoribus
editarum contra homicidas, & alios capitaliter bannitos. Et maiorum
pœnarum inflictio in eorum receptatores, & auxiliantes, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1575. indit. 3. die verò 24. mensis Iunii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo patris, & D. N. Domini Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno 4. retrospectiua littera Apostolica publicata & affixa fuerunt in valuis Ecclesiæ S. Iohannis Lateran. ac Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellaria Apostolica, & in acie Campi Floræ, per nos Scipionem de Othauianis, & I. Andream Panizzam Apost. Cursos.

Ioannes Freile Mag. Curs.

Sequitur declaratio dictæ Constitutionis quoad Prælatos Monialium.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Causa const.

DVbiis, quæ emergunt, declarationis remedium expedit adhibere. Cum igitur super eo, quod optima primum ratione Concilium sanxit Tridentinum, deinde in cōstitutione fel. rec. Pij Papæ V. prædecessoris nostri nomis Iulij, Pontificatus sui anno tertio, atque item nostra idibus Iunii, Pontificatus nostri anno quarto editis fuit prouisum, ne cui in posterum, nisi in casibus necessariis septa Monasteriorum monialium ingrediendi concederetur licentia, à nonnullis dubitatum fuisse sciamus circa personas, quæ alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officij nituntur, an liceat eis pro libito suæ voluntatis huiusmodi septa ingredi, vel potius seruare debeant ipsi quoque regulam à Concilio præscriptam.

Declaratio quod Prælati Monasteriorum Monialium in casibus tantummodo necessariis ea ingredi valeant.

§. 1. Nos omnem hætationis materiam tollere, & viam scandalis præcidere, ac sanctimonialium quieti consulere volentes, harum tenore auctoritate Apostolica declaramus, Prælatos omnes, tam seculares quàm regulares, quibus cura & regimen Monasteriorum Monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria prædicta ita demùm uti posse, si id faciant in casibus necessariis, & à paucis, iisque senioribus, ac Religiosis personis comitati. Quocirca vniuersos & singulos Episcopali, seu maiori, ac etiam Cardinalatus dignitate præditos, necnon quorumvis Ordinum Abbates, Priores, Ministros & alios quoscumque Superiores regulares ferè monemus, ut facultate huiusmodi, qui eam habent, præterquam in casibus, ut præfertur, necessariis nequaquam utantur.

Contrauentientium pane.

§. 2. Quod si contrafecerint, eadem auctoritate Apostolica statuimus atque decernimus, ut qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice, qua contrafecerint, ingressu Ecclesiæ interdictos, pro secunda à munere Pontificali, & à diuinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere, regulares verò omni officij ministerio priuatos excommunicationi similiter subiaccere.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus Apostolicis, ac in generalibus, & Prouincialibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis Ecclesiis, earumve Prælati, aut Ordinibus, in genere, vel in specie, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque derogatoriis derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis quovis modo concessis, approba-

tis, & innouatis, etiam si illis caueretur expresse, quod nemo interdici, suspendi, vel excommunicari possit per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam de indulto huiusmodi mentionem: quibus, eorumque totis tenoribus, perinde ac si de verbo ad verbum infererentur presentibus, specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 4. Quoniam verò difficile esset præsentibus ad singula loca perferri, volumus earum exemplis, etiam impressis, manuque Notarij publici ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eandem fidem adhiberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 23. Decembris 1581. Pont. nostri anno 10.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1582. Indit. 11. die verò Sabbati 30. Mensis Decembris, Pontificatus S. D. N. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno decimo, retrospectiua littera in forma brevis publicata, & affixa fuerunt in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Scipionem de Othauianis Apostolicum Cursorem.

Callistus Brunettus Mag. Curs.

GREGORII XIII. B. LXV.

Innouatio constitutionum à Prædecessoribus editarum, contra homicidas & alios capitaliter bannitos. Et maiorum pœnarum infliccio in eorum receptatores, & auxiliantes, Communitatesque eos non persequentes & capientes.

Aliam contra eosdem receptatores, & Communitates, & ceteros seueriorem edidit const. 6. Sixtus V. Hoc nostri, ubi alia de materia indicabo.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius const.

Tanta, tamque horrenda quotidie succrescunt sanguinariarum, & sceleratorum hominum maleficia, ut nos, qui subditos nostros charitatis potius vinculo, quàm seueritate pœnarum in officio contineri semper optauimus, tandem necesse sit ad ipsos procul à societate humana submouendos, noua remedia adhibere, ac simul cogitare quomodo illos confouendi facultas tolli ab eis possit, sine quorum auxilio impurissimi illi pleraque omnia delicta neque perficere, neque pœnas effugere possent.

Innouatio bullarum editarum contra Bannitos.

§. 1. Quæ fel. record. Pius Secundus, Paulus item Secundus, Sixtus Quartus, Iulius Secundus, Leo Decimus, Clemens Septimus, Pius Quartus, Pius Quintus, & diuersi alij Romani Pontifices prædecessores nostri suo quisque tempore, prout necessitas tulit, bene & prouidenter respicientes, & constitutiones suas in exitiale hoc genus, pro temporis & criminum ratione ediderunt, quas nos cum suis censuris, & pœnis omnibus, ac si ad verbum infererentur presentibus, haberi volumus pro expressis, & certa scientia nostra innouantes, ita ut illæ omnes præsentibus, & vicissim præsentibus illis vniuersis & singulis ad omnes etiam omnium casus & partes subsidio sint.

Subditi

Subditi Papa, aut in eius Statu bona possidentes, bannitos vel reos in locis suis receptantes.

§. 2. Hoc edicto perpetuo de fratrum nostrorum consilio statuimus, ut quicumque etiam Ecclesiastica, & quacumque dignitate prædictus, siue Dux, aut Comes, Marchio, Vicarius, Feudatarius, Gubernator, siue alius cuiusvis conditionis, & ordinis huius status & ditionis nostræ temporalis S. R. E. in eisdem temporalibus mediâ, vel immediatè subiectus, etiam dominia, iurisdictiones & loca extra statum prædictum obtinens, ac etiam quicumque extraneus bona in eodem statu habens, homicidas, latrones, graffatores, & alios quocumque crimine capitali bannitos, vel diffamatos, in suis quisque dominiis, locis, seu domibus, tam in ipso statu, quàm extra eum consistentibus receptauerit, seu quod in huiusmodi locis receptentur permiserit quoquo modo.

Fauentesque.

§. 3. Ac etiam quicumque ne ij capiantur impediuerit, captosque eripuerit, vel occultauerit, potestatemve euadendi fecerit, nactusue fuerit, siue ad hoc homines, arma, aliâve ministrauerit, seu alias ad auxilium, consilium, vel fauorem, palam vel in occulto, aut quocumque modo præstiterit.

Iustitiarumque ministros in eis perquirendis impediētes.

§. 4. Præterea quicumque Iudices, ministros, vel executores iustitiæ, in perquisitione, captura, seu abductione, ac omnino in libera eorum officij executione impediuerit, verberauerit, insectus fuerit, concusserit, perterrefecerit, arma conclamauerit, aliove concitauerit, seu mandauerit.

Excommunicatur. Hanc excommunic. absoluit

Sixt. V. in rub. cit.

§. 5. Eum præsentium auctoritate excommunicationis maioris sententia innotamus, à qua solus Romanus Pontifex absolvere possit, nisi in mortis articulo, & satisfactione debita præcedente.

Criminisque læsa maiestatis rei sunt.

§. 6. Ac præterea ipsum læsæ maiestatis reum, & S. R. E. rebellem pronunciamus.

Bonis omnibus priuantur.

§. 7. Necnon Ducatu, Comitatu, Marchionatu, terris, oppidis, castris, dominiis, vicariatibus, guberniis, feudis, & aliis quæ à Romana & quibuscumque aliis Ecclesiis obtiner ac obtinebit in futurum, caterisque omnibus bonis immobilibus, mobilibus, & se mouentibus, rebus & iuribus suis, necnon omni & quacumque etiam Ecclesiastica dignitate, gratia, exemptione reali & personali, honore, privilegio, & beneficio, Ecclesiastico & temporali priuamus eo ipso.

Ad dignitates cum filiis inhabilitantur.

§. 8. Ac ipsum & eius filios indignos decernimus ad illa, & alia in posterum obtinenda, & ad quoscumque actus legitimos exercendos, quibus etiam portæ nunquam pateant vilius dignitatis Ecclesiasticæ, vel mundanæ.

Vassalli liberantur.

§. 9. Sintque vassalli, custodes, & populi à fidelitatis iuramento, & quocumque alio iure absoluti.

Et ædificia destruantur, vel Camera applicentur.

§. 10. Omnia eius ædificia disjiciantur, aut aliis Camere Apostolicæ iuribus adscribantur.

Dominia Camera prædicta acquirantur.

§. 11. Ducatus verò ac dominia, vicariatus, gubernia, feuda, ceteraque bona & iura prædicta, eorumque fructus, & emolumenta, aliis Filii nostri iuribus perpetuò applicamus. Et ita Cam. Apost. eo ipso absque declaratione super incurfu pœnæ priuationis huiusmodi, aut citatione eius, vel eorum, qui pœnam huiusmodi incurrerint faciendi, aut iudicis sententia, vel decreto, vel alia iuris & facti solennitate habenda, perpetuò applicata, appropriata, & incorporata.

Thom. Delbene de Immunit. Eccl. Pars I I.

rata, & ad nostram, Romanique Pontificis pro tempore existentis liberam dispositionem pertinere volumus, ac si per lapsum temporis concessionis eorum, aut finitam lineam ad ipsam reuertissent.

Privilegia in recipiendis bannitis reuocantur.

§. 12. Neque quisquam exemptionis, vel vetusti priuilegij de recipiendis, & non consignandis huiusmodi facinorosis, & bannitis, aut alio quocumque prætextu iuari possit.

Bona confiscata sub const. 35. Pij V. non comprehenduntur.

§. 13. Declarantes Ducatus, dominia, vicariatus, gubernia, feuda, aliæque prædicta, sub constitutione dicti Pij V. prædecessoris super huiusmodi dominiis & iurisdictionibus in feudum, aut alias non concedendis edita minimè comprehendunt.

Communitates non capientes bannitos eisdem pœnis ligantur.

§. 14. Communitates, necnon vniuersitates omnium Ciuitatum, terrarum, & locorum status prædicti, cum primum de accessu, statione, vel transitu bannitorum, & aliorum prædictorum noticiam habuerint, si statim populos suos armatos pulsu campanarum, & aliis signis non conuocauerint, illosque non ceperint, & tuto custodierint, vel si illos capere non potuerint, finitimas quasque Communitates, & Vniuersitates, aut dominos non commonefecerint, vel ipsi aut eorum aliqui illos receptauerint, vel tolerauerint, vel cibis, commeatu, auxilio, consilio, vel fauore, aut quocumque alio modo etiam ut euadant, per se vel alios inuenerint, censuris & pœnis omnibus supradictis supponimus, eorumque etiam res & bona omnia, necnon fructus & emolumenta Fisco prædicto, modo & forma præmissis applicamus eo ipso.

Executorum deputatio, & facultates.

§. 15. Et nihilominus dilecto filio Camerario nostro, caterisque omnibus singularum literarum prædictarum executoribus, & præterea Gubernatori Urbis, ac causarum Curie Camere prædictæ generali Auditori per Apostolica scripta mandamus, ut quisque pro se ad omnimodam illarum, & præsentium nostrarum, ac censurarum & pœnarum omnium in eis contentarum executionem omnino procedentes, faciant illas omnes, & in eis contenta quacumque, semper & vbiq; per omnia loca prædicta, & ab omnibus sub illis comprehensis, iuxta singularum literarum earundem continentiam & tenorem, inuolabiliter obseruari.

Clausula derogatoria.

§. 16. Non obstantibus præmissis, ac omnibus quæ singulis literis prædictis concessum est non obstante, caterisque contrariis quibuscumque.

Forma & effectus publici.

§. 17. Ut autem præsentis literæ omnibus amplius innotescant, & ne quisquam illarum ignoracionem excusare possit, iubemus illas valuis Ecclesiæ S. Io. Lateranen. & basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac acie Campi Floræ, de more appendi, eisque detractis, ipsarum exempla etiam impressa eisdem in locis affixa relinqui: factaque huiusmodi publicatione, volumus ipsas præsentis hic in Vrbe publicatas die sequenti, extra verò eam post decem dies quoscumque perinde arctare, atque afficere, & contrascentes pœnas & alia supradicta omnino incurrere, ac si eis singulis præsentibus in propriis eorum personis & locis intimata fuissent.

Exemplorum fides.

§. 18. Insuper earundem præsentium exempla, etiam impressa, Not. publici manu, & Camerarij prædicti, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constituta sigillo obsignata, eandem prorsus fidem vbiq; locorū in iudiciis & extra illa facere, quæ ipsæ præsentis facerent, si exhiberentur vel ostenderentur.

Cc Nulli

Nulli ergo, &c.
Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1580. quinto idus Iulij, Pontificatus nostri anno 9.

Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episc. subscr.

Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

Cardinalium subscriptiones.

Io. Card. Moronus Episcopus Ostien.
Ego Iac. Card. Sabell. Episc. Tusc.
Ego Io. Antonius Card. S. Gregorij, Episc. Prænestin.
Ego Aloysius Card. Cornelius.
M. S. Card. de Altaemps.
A. Card. Gesualdus.
Ego In. Card. de Aragon.
Ego Ptol. Cardinalis Comensis,
Ego P. Card. Sanctæ crucis.
Zachar. Card. Delphinus.
Io. Er. Card. Commendonus.
A. Card. Sfortia.
Fla. Card. Vrsinus.
Gul. Sir. Card.
Fr. Michaël B. Card. Alex.
Lud. Card. Madrucius.
Marcus Ant. Card. Massæus.
N. Cardinalis de Pelleue.
Iulius Ant. Sanctoris Card. Sanctæ Seuerinæ.
G. Card. Rambouilletus.
F. Felix Card. de Montcalto.
F. Vincentius Card. Iustinianus.
Hieron. Card. Rusticucius.
Io. Hieron. Card. Albanus.
Ego Ph. Boncompagnus Card. S. Sixti.
Petrus Card. de Deza.
Ego Fer. Card. de Medicis.
Ego Ant. Card. Caraffa.
Ego Phil. Card. Vastaullanus.

Publicatio.

Anno à Natiuit. Domini 1580. indict. 8. die verò 17. mensis Iulij, Pontific. Sanctiss. in Christo patris, & D.N.D. Gregorij diuina providentia Pape XIII. anno 9. retrospectiua littera Apostolica affixa & publicata fuerunt ad valuas Ecclesiæ S. Io. Lateran. & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ, dimissis ibidem earum exemplis impressis per nos Petrum Aloysium Gaytam, & Nicolaum Taglietum Cursores Apost. Iulius Fontana Mag. Curs.

SIXTI V. B. VI.

Innouatio omnium constitutionum à Romanis Pont. hætenus editarum contra exules, bannitos, aliosque facinorosos homines, eorumque receptatores & fautores; & multarum impositio pœnarum in eosdem, necnon contra Communitates & alios, sua territoria eiusmodi scelestis hominibus expurgata non custodientes.

Quoad primam partem, extat in hoc opere constit. 8. Pij II. Ad retinendas, sup. constit. 4. Pauli II. Viros; constit. 14. Innoc. VII. Licet ea: constit. 6. Iulij II. Cum homines: constit. 36. Leonis X. Omnes: constit. 10. Clem. VII. In sanct. constit. 17. Iulij III. Cum Ciuitates, & constit. 25. Cum sicut. Et extat etiam Pij IV. constit. 27. In eminenti: Pij V. constit. 10. Ex superne, & Gregor. XIII. constit. 65. In tanta, tom. 2.

Quo verò ad secundam partem, contra non custodientes eorum territoria, habes sup. in constit. 2. Iulij II. Quia: & constit. 28. Leon. X. Romani, tom. 1. necnon constit. Pij IV. In eminenti, & constit. 10. Pij V. iam citatas lib. 2.

Præterea aduersus eiusmodi perfidos homines, omnesque vindictam transversalem fumentes, Paulus II. edidit constit. 4. Viros, vbi notauit lib. 1. Provt contra minantes pro habenda pace, aliam edidit constit. iam citatam Innoc. VII. vbi dixi lib. 1. Necnon contra Franchisias in Vrbe tenentes vel acclamantes habes sup. constit. 17. Iulij, III. Cum Ciuitates; cum aliis ibi indicatis lib. 1. Et contra facientes caualcatam, habes infra constit. 75. Dum pro, vbi alia notabo. Provt circa appellationes istorum in contumacia condemnatorum, notauit supra in constit. 52. Pij IV. Et si cuncta, & in Pij V. constit. 138. Licet iuri. Et tandem de prohibita eorum remissione, attende constit. 15. Clem. VIII. infra lib. 3.

SIXTVS EPISCOPVS.

Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius Constit.

Hoc nostri Pontificatus initio, inter multa Reipublicæ damna & incommoda, quæ menti nostræ obuersabantur, nobis longè fuit grauissimum, quod Populos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditioni temporali subiectos, non modò ad rerum, substantiarumque suarum perturbationem & iacturam, sed etiam vitæ periculum redactos, inuenerimus, exulibus, bannitis, cæterisque id genus facinorosis hominibus ita vendique ingruentibus & grassantibus, vt vix quisquam ab hac hominum pestefectus alicubi consistere posse videatur. Quare cum ad hæc sananda mala ex officij nostri debito, & præcipua erga nostros, ac eiusdem Romanæ Ecclesiæ subditos charitate assidue simulemur, nihil non agere & tentare decernimus quo Populis optata quies, salus, securitas & tranquillitas per nos restitueretur. Quod ita demum, Deo auxiliante, speramus nos esse consecuturos, si cautè provideatur, ne vllum domi forisque, intra extrave fines nostros, criminosis hominibus huiusmodi pateat diffugium, aut receptaculum, sed omnino Legum & Magistratum securitatem, iustitiæque gladium subire, ac debitas pœnas luere cogantur.

Confirmatio constit. prædecessorum cum earum penis, præterquam excommunicationis.

Tu aduerte quod omnes ista Bullæ sunt à me indicate hic in rubr. præter vnam Sixti. IV. quæ est relata in præc. constit. 10. Pij V. §. 3. & §. 5. lib. 2.

§. 1. Itaque de fratrum nostrorum consilio omnes & singulas constitutiones à fel. record. Pio II. & Paulo etiam II. Sixto IV. Iulio similiter II. Leone X. Clemente VII. Iulio III. Pio etiam IV. Pio V. Gregor. XIII. & quibusvis aliis Rom. Pont. prædecessoribus nostris, suo cuiusque tempore, in decessibile prædictorum & aliorum infra scriptorum hominum genus, pro temporis, & criminum ratione editas, cum omnibus & singulis in eis contentis, quoad ea quæ præsentibus non contrariantur, & excepta excommunicationis sententia, per easdem constitutiones illis contrauenientes promulgata, quam ne animarum perniciem potius quàm salutem afferat, consultò tollendam & submo- uendam duximus, ex certa scientia nostra approbantes & innouantes, illarumque omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis & inferis haberi volentes.

Barones & Communitates eorum territoria à banniis, &c. libera custodiant.

Vide ad hoc Bullam Pij V. & aliorum cit. in 2. part. rubr. & etiam hic infra.

§. 2. Vniuersis & singulis Ducibus, Principibus, Marchio